

captivi omnes restituti. Ubertino Carrario Castellum Baldum & Bassanum Veneti dono dederunt. Ex quo datur intelligi, nihil Venetos eo bello minus quævisse, quam imperii fines aliquo modo promovere. Nam præter fractas jam tyranni opes, quas facile evertere potuissent, atque armis sibi quærere, quicquid illi ademissent, Paduam urbem clarissimam, suam jure belli factam, Marsilio, privato tunc homini, habendam permiserunt, novissimeque Ubertino, qui illi successerat, duo non parva oppida, hosti in ipso fœdere adempta, cum suis finibus tribuerunt. Sed certe ita est, ut Forlivienſis Blundus scribit, nullam tum Venetis ampliandi imperii curam fuisse; unde manifeste apparet, id unum, quod ex sententia consecuti sunt, eos quævisse: ut invisam tyranni superbiam contunderent, cernerentque omnino fractum, pacemque suppliciter petentem eum, qui nuper tanto strepitu omnia turbabat, cui non satis erat, quicquid telluris cis ultraque Padi fluenta intra alpes jacet, nisi in Hetruriam quoque tyrannidem promovisset: ac novissime maris possessionem tanto labore quæsitam, non adimere (quod fieri non poterat) sed turbare Venetis cœpisset. Hunc igitur fructum ut maximum, ita suavissimum ex ea victoria tulere: satis superque se adeptos rati, quod superbissimi hostis ferociam tandem prostratam vidissent, cui demum jacenti, ac miserabili modo ignominiosam pacem petenti, non modo non negaverunt, sed civitate etiam donavere.

Dandulus, Republica domi forisque fœliciter administrata, anno sui Ducatus circiter undecimo obiit: Bartholomæus Gradonicus illius administrationem excepit, Dux quadragintavirali suffragio creatus. Hoc tempore amplissimum illud conclave, in quod octavo quoque die, interdum sæpius, ad creandos magistratus omnis fere patricius ordo coit, apud quosdam constructum reperio. Popiliam, Pelestrinam, Medoacum decreto Patrum tum primum ex urbe magistratus missi. Aquæ triduo ante Martias calendas, noctu subita tempestate coorta, ita ingentem fecere cataclysmum, ut tribus & amplius cubitis in urbe, quam unquam alias crevisse dicantur. Res ipsa in portentum versa auxit fidem iis, quæ

1339

*Bartholomæus Gradonicus
Dux creatur.*

1341
Ingens cataclysmus.

T

pilca-